

hamum vidisti? Scilicet opinabantur Christum esse $\psi\iota\lambda\delta\upsilon$ $\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$. Talem elenchum committunt Antitrinitarii: Christus est minor Patre. Ergò non est Deus. 2. *Cùm opposita mediata confunduntur cum immediatis:* ut, Stola hæc non est nigra. Ergò est alba. Non est arbor. Est igitur lapis. Lapis non est videns. Ergò est cæcus. Hic inter nigrum & album est medium per $\mu\epsilon\theta\epsilon\zeta\iota\nu$, *participationem:* inter arborum & lapidem est medium per $\delta\acute{\alpha}\pi\phi\alpha\sigma\iota\nu$, *negationem:* inter videre & cæcum esse est medium per $\sigma\omega\alpha\pi\acute{o}\phi\alpha\sigma\iota\nu$, *simul negationem utriusque.* 3. *Cùm oppositio fit, non juxta propria, ut differentias, sed juxta genus aut communia accidentia.* Vulgò dicitur: Vitiosa est $\eta\ \acute{\epsilon}\pi\iota\ \tau\acute{\alpha}\ \alpha\acute{\upsilon}\tau\acute{\alpha}$ (sive $\tau\acute{\omega}\tau\acute{\alpha}$) $\acute{\alpha}\nu\theta\lambda\acute{\epsilon}\theta\eta\sigma\iota\varsigma$, id est, consecutio directa, seu ad eadem consecutio: ut, Homini à naturâ tributum est, ut se, vitam, corpusq; defendat. Ergò non leoni. Prodigalitas est vitium. Ergò non avaritia. Calor nimius incendit vulnus. E. frigus non incendit. Pater est literatus. Ergò filius non est literatus. Qui videt, vivit. Ergò cæcus non vivit. Justitia est virtus. Ergò quod non est justitia, non est virtus. Oppositis enim tribui potest idem (videlicet, quod ipsis commune est) etsi opposita eidem tribui non possunt. Ergò fieri potest, ut contraria idem consequantur, & quod uni convenit, alteri quoque conveniat. Hæc notanda sunt, ut scire possis quomodo valeat *argumentum à contrario sensu*, itemque illa regula Ciceronis: *Contrariorum contraria sunt consequentia.*

Fallacia cō-
tradicientiū.

III. Fallacia contradicentium est, cùm oppositio non fit inter contradicentia, nec immediatè:

Ut si opponantur justitia & prudentia tanquam contradictoria; vel justitia & injustitia. Illa enim non sunt contradicentia, sicut nec hæc. Non immediata oppositio est inter res genere diversas, ut inter unum & non-bonum. Nam unum & non-unum sunt contradicentia. Est quidem oppositio inter unum & non-bonum, sed non contradictoria. Nam omnis contradictoria oppositio immediata est.

Fallacia re-
latorum.

IV. Fallacia relatorum est:

1. *Cùm tanquam relata opponuntur, quæ non sunt relatè opposita:* ut, Filius in divinis non est à Patre; quia est à se ipso. Nam Filius & Deus non sunt relatè opposita; sed Filius &

lius &